


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

i. D: XXXI. dec: 1771. Rip:
J: D: XXI. Jun: LXXII. Rip:

DA BOX

No: 1178.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

= LN 1137
ex. 2

In hi...
...
Intea ...

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

In hiſtoria ſcribenda imprimis curandum e
ut jucundum lectoribus argumentum ſe-
queratur. Dion: Halic. in ep. ad Pompej.
Rep: d. 21 Jun: MDCLXXII.

5 H

Intea muſe, animus dum mollior, inſtes
Et qua mox imitere, legas, nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum romana vetuſtas
Antiquos evolve duces.
Claudian:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

7: Ad mensam altaris frequentius accedunt, ut possint
Deum suum manu et ore contrectatari.
Bernh:

Rip: d: 22 Jun: cIↄIↄcLXXII

Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum finemq́ tenere,
Naturamq́ sequi, patriæq́ impendere vitam,
Nec sibi sed toti genitum se credere mundo.
Lucan:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

BREVIS

DISPOSITIO

CONCIONVM, QVÆ in tribus diebus publicarum precationum, 28. 29. 30. Ianuarij, Eccleſiæ proponentur.

Ad vſum miniſtrorum verbi ſcripta à

PAVLO MATTHIA.



HAFNIÆ.
Impreßit Laurentius Benedictus
1583.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

TERTVLLIANVS.

Coimus in cœtum & aggregationem, vt Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

CONCIO PRIMÆ Diei.

Eſaiæ 64.

SEd nunc ſumus omnes immundi, ſimiles panno polluto, omnes iuſtitiæ noſtræ. Et cecidimus quaſi folia, & iniquitates noſtræ, ſicut venti, diſsipauerunt nos. Nemo inuocat nomen tuum, nec quiſq; ſeſe excitat ad retentionem tui. Quoniam abſcondiſti faciem tuam à nobis, & tabeſcere nos feciſti in iniquitatibus noſtris.

Et nunc Domine, Pater noſter es tu, nos vero lutum, Tu es formator noſter, & nos omnes ſumus opera manuum tuarum.

Ne iraſcaris Domine valde, nec perpetuò memineris iniquitates noſtras, En reſpice quæſo, quòd nos omnes ſumus populus tuus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

EXORDIVM.

SI triſtiſsimam rerum omnium faciem, diligentius intuemur, neminem, niſi ferreum & adamantinum prorſus, futurum arbitror, qui non ad tam aperta & manifeſta, iræ diuinæ ſigna, totus cohorreſcat ac contremiſcat. Bellis enim ardent, ſeditionibus, diſsidÿs, vicina regna omnia, prouinciæ, ciuitates. Quantis quæſo difficultatibus, afflictiſſima Liuonia, & vicinæ nobis prouinciæ Belgicæ, antea quidem florentiſsimæ, nunc verò in abyſſum quaſi omnium calamitatum demerſæ, laborant? vbi multis nunc annis, miſerrima plurimorum hominum laniena conſpicitur. Peſtis, quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

quæ aliquantiſper viſa eſt ceſſaſſe, rurſus ita latè virus ſuum diffudit, vt nullus propemodum, totius Europæ angulus, ab eius contagione liber relictus videatur: Sæuiunt venti, non ſine graui, & triſti admodum multorum iactura, horribilibus & vix antea auditis tempeſtatibus, quæ nil niſi irati Dei faciem, nobis repræſentant. Videmus perpetuas & continuas, aliquot nunc menſium pluuias, cuiuſmodi nullas, noſtra vel fortè maiorum etiam memoria fuiſſe conſtat, quæ noſtram nobis duriciem, qui ad peccata noſtra deflenda, plusq̃ ſaxei ſumus, omnino exprobrare videntur. Poſtremò, quantus Oceanus malorū, ex Religionis controuerſijs, proximis hiſce annis, in vniuerſum penè orbem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

Chriſtianum inundat, cùm interim Antichriſtus, qui flamma, gladio, proditione, fraude & vi, miſera filij Dei membra oppugnat, Regni ſui pomœria, dilatare non ceſſet. Ieſuitæ ita ſe in familiarem plurimorum vſum & familiaritatem inſinuarunt, vt etiam in vicinarum prouinciarum Eccleſijs & Scholis, ſoli propemodum locum obtineant. Breuiter, quocunq; oculos vertas, nihil, niſi certiſsima horribilis iræ diuinæ ſigna, quæ triſtiſsima quæq; mala, niſi clementer ea Dominus auerterit, nobis minantur, cernitur, Vſq; adeò, tota rerum natura, iuſto Dei iudicio, in humani generis perniciem, conſpiraſse videtur. Nos interim, quod vehementer eſt deplorandum, comeſsamur, heluamur,

ludi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

ludimus, ſtertimus, & frena cupiditatibus laxantes, ſuis quiſq; voluptatibus indulgemus, ſecuri iram Dei contemnimus, quam (malùm) peccata peccatis cumulando, magis etiam atq; magis, aduerſus nos quotidie prouocamus.

Rex itaq; noſter clementißimus, pro ſingulari ſua pietate, hæc & alia iræ Diuinæ, & grauißimarum pœnarum, ſigna manifeſtißima, ſuo ſecum animo reuoluens, verè ijs afficitur, vtq; Chriſtiani Magiſtratus officio perfungatur, præſentißimum remedium, quo tantis malis maturè occurratur, pia ſollicitudine cogitat, nimirum vt à Deo irato, ad Deum miſericordem, vt præclarè ait Auguſt: fugiamus, & cum Niniuitis, ſeria nos pœnitentia, ad Deum

conuertamus, malaq́; imminentia,
quæ iuſtiſsima eius ira, nobis abſq́;
omni dubio minatur, vero non ſi-
mulato cordis dolore, apud eum de-
precemur. Conſtituti igitur ſunt, à
pijſsimo ſimul & clementiſsimo
Rege noſtro, tres hi dies continui,
publicis precationibus, quibus vt
per totum hoc Regnum, Eccleſia
frequens conueniat, ſeriò mandatur,
vt homines de tantis rebus commo-
nefacti, earum diligenti conſidera-
tione, ad veram pœnitentiam exci-
tentur. Quare ad tam pium ac ſe-
rium, Sereniſsimæ R. M. manda-
tum, decet nos omnes ac ſingulos,
diebus hiſce precationum, publicè in
Eccleſia, omni reuerentia, animiq́;
deuotione conuenire, vt conſiderata
præſente & vrgente neceſsitate, in
noſmet

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

noſmet deſcendere, noſtraq́ peccata agnoſcere, ac vero animi dolore, coram Deo ea deplorare diſcamus: Nec vllo modo, vel peccatorum fœditate, vel imminentium malorum multitudine, à Deo abduci nos ſinamus: Sed firma fide, in gratuitam Dei miſericordiam, propter vnicum ac ſolum Mediatorem, omnibus verè pœnitentibus promiſſam, erecti, ardente precatione ad Deum accedamus, omnemq́ noſtram neceſſitatem, animis & precibus coniunctis, in eius ſinum effundamus, nihil dubitantes, quin iuxta dulciſſimas ſuas promiſſiones, quæ paſſim in ſcripturis extant, & infrà, Deo volente, recitabuntur nonnullæ, nos per ac propter filium

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

ſuum vnigenitum, clementer ſit exauditurus.

Atq; hæc, in initio harum concionum, non quidem vt volui & debui, ſed vt pro præſentis temporis ratione potui, ita breuiter præfari volui. Filius Dei, qui ſedet ad dexteram Patris, interpellans pro nobis, animos & corda noſtra, Spiritu ſuo S. gubernet, vt omni ſepoſita hypocriſi, omniq; excuſſo veterno, in vero Dei timore ſolennibus hiſce precationum diebus, frequentes conueniamus, faciatq; vt preces noſtræ, quas in eius nomine fundimus, Deo gratæ & acceptæ, eiusq; Eccleſiæ & Scholis, Regi noſtro clementiſſimo, Illuſtriſſimæ Reginæ, omnibuſq; liberis Regijs, Regnis quoq;, Ducatibus, & Prouin-

uin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

uincijs, nobiſq; ipſis, & familijs noſtris, vtiles & ſalutares eſſe poſſint. Amen.

Nunc ad textum, ſuprà recitatum, propius accedamus, vnde tres potiſsimùm doctrinas colligamus.

1. De vera hominis pœnitentis confeſsione, quæ ſalutaris contritionis pars eſt.
2. De fide, qua in medijs etiam calamitatibus, homo peccator, ad Deum, non aliter atq; ad benigniſsimum patrem accedit.
3. Quomodo affectus eſſe debeat, qui miſerijs & ærumnis preſſus, auxilium à Deo petere velit.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

DE PRIMA doctrina.

Et nunc ſumus omnes immundi &c.

HÆc eſt ingenua & aperta populi Iſraëlitici confeſſio, qui in triſtißimam captiuitatem Babylonicam abductus, tandem ſe ſuamq́ miſeriam, & commeritas pœnas, iuſtè ſe luere, agnoſcit & confitetur. Hoc exemplo moniti, etiam noſtram immundiciem, quæ & magna eſt, & multiplex, agnoſcere, eamq́ ingenuè coram Deo confiteri diſcamus, qui maximis atq́ infinitis nos ſceleribus, quotidie polluimus, comeßationibus, beluationibus, libidinibus, illicitis vſuris, impoſturis, fraudibus, rapinis, auaritia, ſuperbia,

bia,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

bia, nimio & immodico, cùm in alijs
rebus, tum in veſtitu maximè, luxu.
Hæc & innumera penè alia, in quæ,
ad ambas vſq; aures, omnes omnium
ordinum homines, demerſos vide-
mus, ita nos defœdant, vt nihil,
niſi mera immundicies, in nobis re-
periatur, noſtraq; iuſtitia, veluti
pannus immundus, à quo etiam ocu-
los auertimus, in conſpectu Dei ha-
beatur. Vnde iuſta indignatione
motus Deus, bello, peſtilentia,
fame nos exercet, quæ tria, veluti
concatenata mala, non aliter, ac
validiſsimus ventus folia, homi-
nes paſsim proſternunt, deyciunt,
diſsipant. Quot quæſo hominum
millia, proximis annis, bello pe-
riere? Quàm multæ familiæ, mi-
ſerè diſsipatæ? Quot ſæuiſsima lues
peſti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

peſtifera, paſſim proſtrauit? Quot alijs in locis, triſtiſſima fames enecauit? Sed quæ, quæſo, tantorum malorum cauſa? Iniquitates, *inquit,* noſtræ, *quarum ſummam & maximam nominat, Dei contemptum.* Nemo, *inquit,* inuocat nomen tuum. *Vbi enim ſecurè contemnitur Deus; verus Dei timor in nobis extinguitur, ita vt nemo, vel pauci admodum reperiantur, qui ſeriò Deum inuocent, nec quiſq̃ ſit, qui ſeſe ad Deum, precibus ſuis comprehendendum, excitet. Loquitur enim Propheta, non de frigida, ſed ardente inuocatione, quæ Deum, veluti vlnis conſtrictum tenet, qualis illa fuit Moſis, populi culpam à Deo deprecantis, quem ſic alloquitur Deus, Exo: 32. Dimitte me, vt*

ira-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. Neglecta autem vera inuocatione, quæ præcipuus Dei cultus eſt, faciem ſuam viciſsim, à nobis abſcondit Deus, noſq; quaſi omni noſtri cura abiecta, in peccatis noſtris tabeſcere facit. Excitemus igitur etiam nos, præſentibus & imminentibus pœnis, ad ſeriam inuocationem, vt coniunctis precibus, Deum captiuum teneamus, ne in furore ſuo, nos funditus perdat. Ideo enim, vt grauiter dictum eſt à Tertull: Coimus in cœtum & aggregationem, vt Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes.

Accedamus ad Deum, vera & ſeria confeſsione, omniq; hypocriſi, ac falſa propriæ iuſtitiæ per-

ſua-

*ſuaſione ſepoſitis, noſtram immun-
diciem agnoſcamus, eamq́; veris cor-
dis gemitibus, coram Deo deplore-
mus. Sine enim vera agnitione, ac
confeßione propriæ indignitatis,
nullus locus eſſe poteſt miſericordiæ
diuinæ. Qui enim miſeriam ſuam
non ſentit, is Dei miſericordiam fa-
cilè contemnit: Et quem morbus
non premit, Medicum facilè ſpernit,
quemad: Chriſtus ipſe teſtatur,
Mat: 9. Huc faciunt dicta illa de cō-
feßione Pſal: 32. Quia tacui &c 51.
Tibi tibi ſolùm peccaui &c. 1. Ioh: 1.
Si dixerimus, quoniam peccatum nō
habemus &c Agnoſcentes autem no-
ſtram immundicem, eamq́; coram
Deo, vera confeßione detegentes,
vitæ deinceps emendationi ſtudea-
mus, nihil dubitantes, quin faciem*

ſuam,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

ſuam, à nobis abſconditam, mitem rurſus ac placidam, nobis conſpiciendam, Deus ſit exhibiturus, ita vt firma fiducia, in eius miſericordiam, propter filium concepta, liberrimus ad eum, tanq̃ ad mitiſſimum patrem, nobis pateat acceſſus, ſicuti nunc in ſecunda doctrina dicetur latius.

DE SECVNDA doctrina.

Ingens dolor eſt, vbi Deus iratus, faciem ſuam à nobis abſcondere videtur, ac ſi nullus iam amplius, neq; conſilij neq; auxilij locus, apud eum relictus eſſet: nec poſſet homo peccator, huius doloris vehementiam ſuſtinere, niſi firma fide erectus, Deum iratum, mitem ac mi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

ſericordem patrem agnoſceret. Hæc enim ſumma ars eſt Chriſtianorum, credere inuiſibilia, ſperare dilata, amare Deum, oſtendentem ſe tanq̃ hoſtem & inimicum, & ſic in finem vſq; perſeuerare. Talis hîc Iudeorum fides conſpicitur, qui duriſſimo ſeruitutis iugo preſſi, in medÿs ærumnis, Deum tanq̃ clementiſſ: patrem compellant, certò ſtatuentes, eum opera manuum ſuarum, hoc eſt, creaturas ſuas, nequaq̃ relicturum, quarum figmentum nouit, naturam videlicet humanam, quæ infirmior eſt, quàm vt magnitudinem iræ Diuinæ & pœnarum ſuſtinere poſſit, quemad: Pſal: 130. dicitur: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Hoc exemplum etiam nos imitemur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

mur, & in medijs malis, quæ irata facie, nobis minatur Deus, fidei oculis, paternum eius animum intueamur, nihil dubitantes, quin ſeriò inuocatus, noſtræ miſeriæ verè miſereatur, & præſentes ac imminentes calamitates, clementer propter filium, vel auertat vel mitiget.

Verùm cùm huiuſmodi fides, in nobis admodum languida ſit & imbecillis, promiſsionibus diuinis, & exemplis eam corroboremus.

Promiſsiones paſsim in ſcripturis obuiæ ſunt. 2. Paralip: 30. Pius & clemens eſt Dominus Deus veſter, & non auertet faciem ſuam à vobis, ſi reuerſi fueritis ad eum. Eſa: 45. Conuertimini ad me, & ſalui eritis, vniuerſi fines terræ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

Et 55. OMNES ſitientes venite ad aquas. Zachar: 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ezech: 33. Viuo ego dicit Dominus &c. quæ cùm etiam iureiurando ſit confirmata, de eius veritate, nemo, niſi planè impius, dubitauerit, quemad: præclarè de hac promiſſione ait Tertull: O beatos nos, quorum cauſa Deus iurat, ô miſeros, ſi nec iuranti Domino credimus. Sed omnium dulciſsima eſt ipſius Chriſti promiſsio, Matth: 11. Venite ad me OMNES &c. Hæ & aliæ ſimiles promiſsiones, quia vniuerſales ſunt & gratuitæ, ſatis teſtantur Deum, verè pœnitentes in gratiam recipere, Et non ſolùm peccata eis remittere, verum etiam

pœnas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

pœnas commeritas, vel tollere vel mitigare.

Promiſsiones confirmentur exemplis, veluti primorum noſtrorum parentum, Manaſsæ, Dauidis, Magdalenæ, Petri, Latronis in cruce, Pauli & aliorum, quæ omnia teſtantur, diuinæ miſericordiæ ianuam, omnibus patêre, qui firma atq; indubitata fide, eam indeſinenter pulſare perſeuerant, iisq; omnibus diuinum auxilium paratum eſse, qui firma & indubitata fide, in promiſsiones diuinas recumbunt.

DE TERTIA doctrina.

Propheta, populi ſui nomine, vehementiam iræ diuinæ deprecans, pulchrè admodum oſtendit, quomodo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

affecti eſſe debeant, qui varijs ærumnis & calamitatibus preſsi, à Deo auxilium petere velint, non debent cum Saule, fremere aduerſus Deum, durius interdum corripientem, neq; fugere Deum iratum, ſed inſtar obedientis filij ad eum potius accedere, omniq; ſe humilitate, diuinæ caſtigationi ſubijcere, ſeq; ad eam ferendam, totos paratos offerre: Interim tamen precari, vt pœna mitigetur, & paterna ſit caſtigatio. Sic precatur Dauid Pſal: 6. Ne in furore tuo &c. Et Iere: cap: 10. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, Id eſt, ſeruato modo, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.

Hic affectus, etiam in pueris, magis obedientibus cernitur, qui

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

non fugiunt patrem offenſum & iratum, ac virgas etiam minitantem, ſed accurrunt potius, & in parentis complexum ruunt, non tam pœnam, q̃ iram & indignationem parentum deprecantes. Idem affectus in nobis ſit oportet, ne iuſtam Dei diſciplinam, in totum auerſemur, ſed vt ad eam, vltrò & patienter ferendam, paratos nos offeramus, Idq́ tantum precemur, ne iratus, inter vaſa iræ, nos abyciat, Sed vt ſeruato paterno affectu, pœnas commeritas clementer mitiget, vtq́ in medio iræ, miſericordiæ ſuæ recordetur. Nam et nos populus eius ſumus, veræ Eccleſiæ Ciues, qui à reliquis ſectis omnibus abhorrentes, eum, qui Pater eſt, Filius & Spiritus S. verum Deum agnoſcimus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

& colimus. Et quamq̃ multæ adhuc ſint ſordes, in corrupta & vicioſa hac natura hærentes, Tamen freti paterna eius miſericordia, nihil dubitamus, quin ad eas, precioſo, filij ſui ſanguine ablutas, clementer inſtar piæ Matris conniueat, neq; perpetuò, iniquitates noſtras meminiſſe velit, quemad: etiam orat Dauid, Pſal: 103. Sed vt eas in profundum maris demerſas, perpetua obliuione obruat, idq; per ac propter filium ſuum vnigenitum, cui cum patre & Spiritu S. Laus ſit & gloria, in omni æternitate.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

CONCIO SECVNDÆ Diei.

Pſal : 91.

QVi habitat in abdito altiſsimi, & in vmbra omnipotentis commoratur: Dicet Domino Spes mea & munitio mea, Deus meus, ſperabo in eum. Quoniam ipſe liberabit te de laqueo venantium, & à peſte exitiali. Pennis ſuis teget te, & ſub alis eius ſperabis, ſcutum & clipeus eſt veritas eius. Ne timeas à timore nocturno, & à ſagitta volante in die. A peſte graſſante in tenebris, & à peſtilentia prædante in meridie. Etſi cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te tamen non appropinquabit. Vtiq; oculis tuis cernes, & retributionem impiorum videbis. Quoniam tu es *DOMINE* ſpes mea, altiſsimum poſuiſti habitaculum refugĳ tui. Non affliget te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vĳs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super leonem & aſpidem ambulabis, & conculcabis catulum leonis & draconem.

Quoniam deſiderat me, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

ENARRATIO.

QVemadmodum proxima ſuperiore concione audiuimus, nullas neq; peccatorum ſordes, neq; vitæ huius ærumnas, quemq̃ à Dei inuocatione deterrere debere, ſed Deum vera confeßione, ac firma fide,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

compellandum eſſe, qui cum pater noſter ſit, & creator, non deſeret nos liberos ſuos, in hac naturæ noſtræ infirmitate, ſed paternæ eius caſtigationi nos placidè ſubijcientes, verè paterno nos vultu aſpiciet, ita vt pœnas, quas peccata noſtra meruerunt, clementer vel tollat vel mitiget: Ita Dauid in hoc Pſalmo, qui conſolationis eſt pleniſſimus, multis & varijs ſimilitudinibus, eandem doctrinam illuſtrat, oſtendens pijs omnibus, in quibuſuis neceſſitatibus conſtitutis, ad Deum, veluti tutiſſimum aſylum, aditum patêre: neq; hoc ſolùm, ſed & Angelos diuinitus eis datos eſſe cuſtodes, Deumq; eorum preces, non modò clementer exaudire, verùm

etiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

etiam præſentem ijs opitulatorem adeßе. Diuidatur autem Pſalmus in tres partes:

1. Dulciſsimas habet ſimilitudines, quibus Propheta diuinum auxilium, elegantiſsimè pingit.
2. Inſignem continet doctrinam, de præſidio ſanctorum Angelorum.
3. Euidenter docet, pios non ſolùm clementer à Deo exaudiri, verùm etiam, Deum ipſis, in medijs periculis, præſentem adeſſe opitulatorem.

DE PRIMA parte.

Non dubium eſt, hunc Pſalmum à Dauide ſcriptum, ac populo Iudaico propoſitum eſſe, cùm ſæuiſſima peſtis in Iudæa graßaretur, quæ tridui ſpatio, ſeptuaginta hominum

minum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

*minum millia interemit, quēad: te-
ſtatur hiſtoria, 2. Sam: vltimo,
ideoq́ in ſpecie hîc doceri, quodnam,
ſæuiente peſtilentia, præſentiſſi-
mum pijs propoſitum ſit remedium:
Nihilominus tamen, quia conſola-
tiones, ad omnes calamitates in ge-
nere humano, ſunt referendæ, me-
ritò etiam, doctrina huius Pſalmi,
ad omnis generis calamitates accom-
modabitur, vt ſiue peſte, ſiue alijs
malis ingruentibus, certò ſtatua-
mus, omnes vera fide ad Deum con-
fugientes, eiusq́ ſe tutelæ & præ-
ſidio committentes, à quibuſcunq́
malis & calamitatibus tutos fore,
quia Deum præſentem habent opi-
tulatorem, qui eos tegit & defen-
dit. Atq́ hæc ſumma eſt totius hu-
ius doctrinæ, quæ vt altius animis
homi-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

hominum inſigatur, varijs ac pulcherrimis eam ſimilitudinibus Propheta illuſtrat, quas ordine, & breuiter conſideremus.

PRIMO, diuinam protectionem nominat Abditum ſeu latibulum, quia vt vulpes & aliæ feræ, ſua habent latibula & foueas, ad quas in venatione, canibus cinctæ, ſe recipiunt, vt in iјs tutæ lateant, & periculum declinent: Ita pij omnes, non ſolùm peſte, verùm etiam, quibuscunq; alijs malis graſſantibus, Deum, tanq̃ optimum latibulum habent, ad quem tutò confugere poſſunt. Cùm autem nominat abditum altiſſimi, indicat humanas latebas fruſtra quæri, vbi quis diuino hoc latibulo fuerit deſtitutus. Sed quid? accuſandi ne

igitur

igitur ſint, qui graſſante peſte, locum infectum fugiunt? Non magis arbitror, quàm qui ſæuiente fame, aliò ſe recipiunt, id quod ſanctiſsimum Patriarcham Iacob feciſſe legimus, Gen: 46. Verùm ita tamen, ne quis vocationem ſuam deſerat, aut diuino latibulo neglecto, humanis tantum latebris, ſe tutum fore exiſtimet: Ita enim quærenda ſunt præſidia humana, quæ licita ſunt, & à Deo conceſſa, ne interim negligantur aut contemnantur diuina.

SECVNDO, Vmbram. Nam vt Viatori, cui æſtus ſolis moleſtus eſt, grata eſt vmbra, qua ſe recreat: Sic protectio diuina, umbram nobis præbet gratiſsimam,

qua

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

qua in medio etiam periculorum æſtu, verè recreamur.

TERTIO, Munitionem, ſimilitudine à re militari ſumpta. Quemad: enim hi, qui neceſſario commeatu inſtructi, arcem aliquam munitam tenent, quamcunq; vim hoſtilem facilè contemnunt: Ita diuina protectione muniti, aduerſus omnia pericula, tuti conſeruamur.

QVARTO, Alam. Hæc omnium dulciſsima eſt ſimilitudo, quæ oſtendit Deum pios omnes, non aliter in ſuam tutelam recipere, quàm pullos ſuos gallinam, quos ſub alis ſuis fouet & tegit, ne eos, vel frigora, vel imbres, vel aues ÿs inſidiantes, lædant. Hac ſimilitudine Chriſtus ipſe delectatus

tus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

tus eſt, Matth: 23. qua nulla alia, ſingularem Dei erga nos affectum, magis euidenter monſtrat.

QVINTO, Scutum & Clipeum. Eſt & hæc ſimilitudo quemad: tertia ſuperior, à re militari ſumpta. Vt enim miles, clipeo & ſcuto, hoſtium tela ſecurus excipit: Sic veritate Dei muniti, in medijs periculis, fortiter conſiſtunt. Intelligit autem per veritatem, promiſsiones diuinas, quæ, vtpote à verace Deo profectæ, veræ ſunt, ideoq; vera fide, in eas recumbentem, nequaq̃ poſſunt fallere. Hæ ſimilitudines, quæ & dulces ſunt & illuſtres, ſemper nobis ſint in conſpectu, vt fidem noſtram, quæ alioqui languida eſt & imbecillis, ijs confirmemus, ne quid, ſiue peſte,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

ſiue alijs malis graſſantibus, de diuina protectione dubitemus.

Præterea obſeruandæ veniunt appellationes, quibus peſtis vehementiam notat, laqueus videlicet venantium, timor necturnus & ſagitta volans in die. Vt enim auiculæ garrientes, nullum metuentes periculum, ſubitò aucupis laqueo capiuntur: Ita homines ſecuri, minimeq́ opinantes, peſte citiſsimè corripiuntur. Deinde vt nox magis homines terret: Sic peſtis, ingentem ijſdem terrorem & metum adfert, quæ virus ſuum, noctu maximè, diffundere creditur. Et vt ſagitta ex arcu fortiter intenſo emiſsa, vehementi impetu obuium quemq́ vel media die ferit: Ita peſtis, interdiu etiam correptos celerrimè

rimè

rimè proſternit. Hæ appellationes, licet oſtendant homines, nullo neq; loco neq; tempore, à peſtis ſæuitia ſatis tutos eſſe: Tamen multi, diuina protectione, ab eius contagione, alijs hinc inde pereuntibus, clementer conſeruantur. Hoc enim eſt quod dicit Dauid: Etſi cadent à latere tuo mille &c. Et noſtra experientia didicimus, proximis hiſce annis, quibus multi, longiore etiam vita digni, lue hac peſtifera perierunt, Deum ſingulari ſua & paterna bonitate, multis clementer pepercißſe, quod ſingulare Dei beneficium, grata nobis mente, meritò agnoſcendum eſt & prædicandum.

Sequentibus tribus verſiculis, collationem inſtituit Propheta in-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

ter pios & impios, ac pijs quidem, diuinam protectionem promittit: impijs verò, iuſtas pœnas denunciat. Neq; tamen Omnes cenſendi ſunt impij, qui vel peſte correpti intereunt, vel alijs ærumnis in hac vita exercentur: quemad: nec Omnes habendi ſunt pij, quos vel peſtis contagium non lædit, vel aliæ calamitates non premunt: Sed quòd etiam pijßimi, ſæuitia peſtis citiſſimè interdum abripiuntur, id fit ſingulari Dei fauore, ne ſint ſpectatores publicarum calamitatum, quemad: docetur Eſa: 57. Sentiunt etiam pij, varias ſæpe calamitates, vt & vera fides & inuocatio, in eis creſcat, & vt impij, in eorum exemplum intuentes, iuſtam Dei iram, ſeriò metuere, & maturè di-

ſcant,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

ſcant reſipiſcere. Interim malis & impijs, ſæpiſſimè ſæuiente peſte, parcit Deus, quos interdum multis etiam beneficijs cumulat, vt & longanimitate ſua & beneuolentia, eos ad pœnitentiam inuitet, qui ſi impœnitentes manſerint, iuſtum Dei iudicium aliquando experientur, quemad: grauiter docet Chriſtus ipſe, Lucæ: 13. & plurima cùm dicta, tum exempla S. ſcripturæ teſtantur, quæ, pro ratione temporis, huc accommodari poſſunt.

DE SECVNDA parte.

Sequentes duas partes Pſalmi, quanta fieri poteſt breuitate, nunc percurremus. Continet autem hæc ſecunda pars, doctrinam maximè

conſolatoriam, de miniſterio Angelorum, qui diuinitus nobis dati ſunt cuſtodes, vt nos, noſtraq; omnia, vxorem, liberos, familiam, facultates, famam, dignitatem tueantur ac defendant, quemad: docet Dauid Pſal: 104. & Epiſtola ad Hebr: cap: 1. Qui facis Angelos tuos ſpiritus &c. Item. Pſal: 34. Caſtrametatur Angelus Domini, in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Hæc quàm ſint vera, plurimorum exempla teſtantur, veluti Lot, Gen: 19. Eliſæi, 4. Reg: 6. Trium puerorum in ardente fornace, Dan: 3. Ipſius Danielis, in ſpecu leonum, Dan: 6. Et 4. Reg: 19. pugnat Angelus Domini pro Ezechia, contra Sennacherib, qui vna nocte, centum octoginta

quinq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

quinq; millia occidit: *Act*: 12. *miniſterio Angelorum, Petrus è carcere educitur. In hæc & ſimilia exempla intuentes, confirmemus animos noſtros, de ſanctorum Angelorum præſidio, & cùm hîc dicit:* mandauit Angelis ſuis de TE, *id de ſe quiſq; dictum, certa fide ſtatuat, nihil dubitans, quin diligens etiam ipſius cura & cuſtodia, ſanctis Angelis, à Deo ſit mandata, Id quod communis, & propria etiam cuiusq; experientia, ſatis ſuperq; teſtatur, cùm nemo ſit, quem non fateri neceſſe eſt, ſingulari ſe Angelorum præſidio, ſine vlla humana ope aut auxilio, à plurimis ſæpe periculis, à primis annis fuiſſe conſeruatum, & adhuc conſeruari indies.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

Verùm hîc diligenter obſeruandum eſt, quod additur : in vijs tuis, *id eſt, diligenter & fideliter facienti operas vocationis, in timore Dei : Via enim, vſitatè in ſcripturis, ſignificat vocationem : Ruentes autem extra vocationem, & mouentes non neceßaria, quod eſt tentare Deum, contra ipſius mandatum : Non tentabis &c. nihil eſt, quòd à Sanctis Angelis, auxilium aliquod aut defenſionem expectent, quod cùm probè ſciret Diabolus, hanc particulam, tentans Chriſtum, callidè omiſit.*

Eſt igitur in dulcißima hac promißione, doctrina ſimul & conſolatio nobis propoſita. Docemur enim ne ſtulta πολυπραγμοσύνῃ, *temerè extra vocationis ſepta ruamus,*

mus, ſed vt propria agentes, intra noſtræ vocationis limites, modeſtè nos contineamus, & fideles ſimus ac diligentes, in vocationis noſtræ operibus, in Dei timore faciendis, quod dum facimus, ſumma nobis hîc propoſita eſt conſolatio, ſanctos Dei Angelos, nobis cuſtodes ad futuros, qui infirmitatem noſtram iuuabunt, difficultatem in officio minuent, & vocationis impedimenta & offendicula, quæ nulla noſtra diligentia vitari poſſunt, ne in ea impingamus, ita auferent, quaſi nos in manus ſublatos geſtarent, ne incauti ad lapidem pedem offendamus. Labuntur interdum etiam ſanctiſſimi in ſua vocatione, & cadunt, ſed quòd non prorſus collidantur, id ſanctorum Angelorum præ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

ſidio acceptum eſt ferendum, qui la-
bentes manibus ſuis ſuſtentant.

Præterea, cùm magna ſit vis & tyrannis aduerſariorum, quos hîc ſæuiſſimis & venenatiſſimis animalibus confert, leoni, aſpidi, draconi, quibus, cùm nulla noſtra potentia, reſiſtere poſſumus, Angelorum tamen præſidio, ab eorum vi & tyrannide, nos tutos futuros promittit.

Sed hîc rurſus obiectio explicanda eſt. Si Deus omnes pios defendit excubijs & defenſione Angelorum, cur Iob non modò omnibus fortunis exuitur, ſed etiam dulciſſimos liberos, & ſanitatem proprij corporis amittit? Cur Baptiſta ab Herode, Paulus à Nerone interficitur? De hac obiectione reſpondet

Au-

Auguſt: enarrans Pſal: 30. Diabolus non poteſt ſæuire in pios, niſi permittente Deo, vel ad probationem, vel ad coronam. Iob exutus *omnibus bonis, probatus eſt, vt Diabolus confunderetur: Martyres exquiſitis cruciatibus necati ſunt, vt coronam conſequerentur, ſicut Paulus inquit: Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ &c.* 2. Tim: 4.

Hac dulciſsima conſolatione, de cuſtodia Angelorum, in omnibus periculis & difficultatibus, fortiter nos ſuſtentemus, ſimulq́ nos excitemus ad diligentem, ingentis huius beneficij diuini, conſiderationem, eiq́ pro tanto tamq́ immenſo, aduerſum nos miſeros homines, beneficio, gratias agamus tantas, quantas humanus animus capere poteſt

maxi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

maximas. Et cùm hi cuſtodes, diuinitus nobis dati, Spiritus ſint mundiſsimi & puriſsimi, omni diligentia vitæ puritati nobis ſtudendum erit, ne aliqua vitæ ſpurcitie, eos à nobis abigamus, ſicuti piè & grauiter monet Baſilius, in enarratione Pſal: 34. Quemad: fumus, inquit, diſsipat apiculas, & columbas fœtor pellit: Ita vitæ cuſtodem, Angelum, à nobis remouet teterrimus odor peccati. Sic igitur viuamus, ne vnq̃ præſidijs neceſſarijs & Salutaribus Angelorum deſtituamur. Qui enim ab his cuſtodibus deſeritur, is omnibus telis Diaboli, tanq̃ ſcopus propoſitus eſt.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

Recitatur etiam in hac parte, doctrina conſolationis pleniſsima. Quæ enim efficacior conſolatio, piorum animis, in medijs periculis fluctuantibus, adhiberi poteſt, quàm quòd hîc Deum audiant, tanta aſseueratione promittentem, ſe non ſolùm eorum preces clementer exauditurum, verùm etiam in ipſis periculis, illis adfuturum. Solatium quidem eſt, humano more loquendo, habere ſocium in poenis, Verùm illud ſolatium, prorſus eſt euanidum, nec veram aliquam conſolationem pauidis hominum mentibus adfert: Verùm cùm iuxta hanc ampliſsimam promiſsionem, certò ſtatuimus, Deum non à longè, ve-

luti

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

luti ocioſum ſpectatorem, calamitates noſtras intueri, ſed nobis, cum maximis difficultatibus conflictantibus, verè præſentem adeſſe opitulatorem, mox ſentit mens pauida, veram & ſolidam conſolationem, qua ſeſe in medijs pauoribus & periculis, fortiter erigit & ſuſtentat.

Verùm hîc rurſum obſeruandum venit, has tam amplas & dulces promiſſiones, non ad omnes promiſcuè pertinere. Nam qui abſq; vllo vero Dei timore, cupiditatibus ſuis indulgent, & peccatis peccata furenter cumulant, nullam ex dulciſſimis hiſce promiſſionibus conſolationem ſentiunt: Sed qui deſiderant Deum, Id eſt, qui ingenti & ardenti amore eum conplectuntur, veraq; non ſimulata fide ei adhærent,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

rent, hi demum ex ampliſsimis hiſce promiſsionibus, veluti ex vberrimo fonte, dulciſsimas conſolationes hauriunt. Hi enim ſoli, quia nouerunt nomen Dei, hoc eſt, Deum ipſum, qualis in verbo ſuo prædicatur, iuſtum videlicet, omnipotentem, miſericordem & veracem, tam in comminationibus quàm promiſsionibus, veris cordis gemitibus Deum inuocant, quos non ſolùm clementer exaudit, liberat, protegit, verùm magna inſuper gloria ornat, quod oſtendunt exempla Ioſeph, Dauidis, Danielis & ſimilium &c. At alij, deſtituti vera nominis diuini cognitione, non ſeriò inuocant Deum, ſed labijs tantum ad eum appropinquant, corde interim longè abſente. Quare calamitatibus preſsi,

deſti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

deſtituuntur veris conſolationibus, donec tandem deſperantes, in æternum exitium ruant.

Cæterùm, cùm Deus hîc pijs promittat vitæ prorogationem, quærat fortè aliquis, quî fiat, vt etiam optimi ac pijſsimi, in medio ætatis flore ſæpiſsimè abripiantur? Sed iam antea dictum eſt, id non fieri, ſine ſingulari Dei conſilio & fauore, quibus res noſtras ſapientiſſimè moderatur: Et ſicut Bernhardus de oratione piorum dicit, fieri id quod petitur, aut non expedire vt fiat: Ita de hac, & alijs promiſsionibus corporalibus dicamus, verè eas à Deo præſtari, modò nobis conducant: Sin minus, longè ſatius eſſe eas non præſtari.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

Quæ autem in fine additur promiſſio, dulciſſimam habet conſolationem, quòd Deus nobis, ſiue ſeriùs ſiue citiùs, ex hac vita emigraturis, ſalutem ſuam ſit oſtenſurus, hoc eſt, nos ex hac momentanea & caduca vita, in æternam illam, & quæ verè vita eſt dicenda euocatos, veræ nos ſalutis, per filium partæ, participes reddet, vt in æternum fœlices ac beati, abſq; vllo vel dolorum, vel calamitatum, vel mortis deniq; metu, ipſum cum Filio & Spiritu S. perpetuis laudibus celebremus.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

CONCIO TERTIÆ
Diei.

1. Timoth: 2.

ADhortor igitur primùm omnium fieri Deprecationes, Petitiones, Interceſsiones, Gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in eminentia ſunt, vt quietam & tranquillam vitam degamus, in omni pietate & honeſtate. Hoc enim bonum & acceptum eſt coram Deo ſeruatore noſtro, qui vult Omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.

ENARRATIO.

HActenus, cùm ex Eſaia tum Dauide, ſanctiſsimis Dei Prophetis, dictum eſt de dulciſsimis conſolationibus, quibus pauidæ hominum mentes, ſeſe erigere debent,

ne,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

*ne, vel propter peccatorum fœdita-
tem, vel calamitatum multitudi-
nem & concurſum, frangantur:
ſed vt ijs confirmatæ, vera fide ad
Deum, tanq̃ clementiſsimum pa-
trem, & tutiſsimum aſylum confu-
giant, nihil dubitantes, quin eos in
paternam ſuam tutelam recipere,
eorumq́ preces clementer exaudire
velit. Nunc igitur commodum vi-
detur, vt de Oratione Eccleſia bre-
uiter admoneatur, quare ex Apo-
ſtoli verbis, ſuprà recitatis, tres
potiſsimùm doctrinas proponemus.*

1. De quatuor diuerſis precatio-
num formis, quas hic recitat
Paulus.
2. Pro quibus orandum, & qui-
bus rationibus adducti, pro
Magiſtratu diligenter ore-
mus.

3. Quòd gratia Dei, ad omnes homines pertineat.

DE PRIMA Doctrina.

Cùm Paulus dicat: Adhortor itaq; primùm omnium &c. *Nullum dubium eſſe poteſt, quin monere voluerit, quotidiana piorum exercitia, à precibus inchoanda eſſe, ſiquidem fruſtrà à nobis omnis labor ſuſcipitur, niſi diuinitus iuuetur, iuxta illud Pſal: 127. Niſi Dominus &c. Recitat autem hoc loco, quatuor potiſſimùm diuerſas Orationis formas, quæ ita diſtingui ſolent.*

Deprecatio, *eſt quâ mala, cùm nobis, tum alijs imminentia deprecamur.*

Petitio,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

Petitio, *eſt quâ petimus, vt quæ bona ſunt & ſalutaria, nobis eueniant.*

Interceſsio, *eſt quâ alij pro alijs intercedimus.*

Gratiarum actio, *eſt quâ & agnoſcimus beneficia diuinitus nobis collata, & pro beneficijs acceptis, Deo gratias agimus. Has diuerſas Orationis formas, illuſtrant exempla Abrahæ, Loth, Moſis, Dauidis, Eliæ, Eliſæi & alia ſimilia, quæ pius verbi miniſter huc accommodabit. Tametſi autem gratiarum actio, hîc poſtremo loco à Paulo enumeratur: tamen in dicendis precibus, reliquas meritò præcedere debet. Omnino enim decet, vt beneficia prius accepta agnoſcamus, Deoq́; pro ijs gratias agamus, anteq̃ petamus noua.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

DE SECVNDA
Doctrina.

Si quæris, pro quibus ſit orandum, reſpondet Paulus, pro omnibus hominibus. Hæc doctrina Pauli, plana eſt & perſpicua, quâ docemur, piorum eſſe, non pro ſe tantùm, verùm etiam pro alijs orare, ijsq́; non amicis ſolùm, ac neceſſitudinis aliquo vinculo ſibi coniunctis, ſed etiam pro omnibus promiſcuè, ſiue amicis ſiue inimicis, iuxta illud mandatum Domini: Diligite inimicos veſtros. Et orate pro his, qui vos diris execrantur, Matth: 5.

Cùm autem potiſſimùm hîc Regum meminit Paulus, & aliorum omnium, quotquot in eminentia ſunt conſtituti, vt ſunt Duces,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

comites, principes, præſides, conſu-
les, ſenatores, præfecti, præcep-
tores, patroni & quicunq; tandem
alij, aliqua officij dignitate eminen-
tes, diligenter perpendendæ ſunt
rationes, quæ, ad diligenter pro Ma-
giſtratu orandum, nos excitabunt.
Recitantur autem hîc à Paulo duæ
præcipuæ.

Prior ſumpta eſt ab vtili,
Multiplex enim eſt vtilitas, quæ
beneficio Magiſtratus ad nos redit,
& hîc potiſsimùm recitatur qua-
druplex.

PRIMA, eſt vitæ tranquilli-
tas, quæ potiſsimùm refertur ad
vitam priuatam, vt & domi cum
noſtris, & foris cum alijs, placidè
& tranquillè viuamus, ſignificat
enim tranquillitas, ἐυταξίαν, ordinem

& concinnam connexionem ciuium, videlicet mutuam reuerentiam, beneficentiam & modeſtiam.

SECVNDA, eſt vita quieta, non turbata bellicis tumultibus, ſeditionibus, latrociniis, vaſtationibus, aut inteſtinis diſsidiis. Quanti autem facienda ſit eiuſmodi vita quieta, ſatis teſtantur infinita mala quæ ſequuntur, vbi armis omnia perſtrepunt.

TERTIA, eſt Pietas. Nam cùm bellis omnia turbantur, negliguntur literarum ſtudia, nec poteſt Iuuentus, in pietatis ſtudiis rectè inſtitui.

QVARTA, eſt vitæ honeſtas. Vbi enim viget honeſta & moderata diſciplina, & Magiſtratus ſuum facit officium, in virtutibus

tibus

tibus ornandis, ac vicijs puniendis, ibi vitæ morumq́; honeſtati optimè conſulitur, quæ alioqui abſq; Magiſtratus beneficio, extremè periclitatur.

Poſterior ratio, ſumpta eſt ab honeſto. Oratio enim quæ fit à ſubditis pro Magiſtratu, cultus eſt Deo gratus & acceptus. Atq; hæc ratio vel ſola, ſatis omnino eſſe debebit bonis & pijs omnibus, vt aſſiduis precibus, Magiſtratum Deo commendent, quòd ſciant hoc officium, Deo imprimis probari.

DE TERTIA Doctrina.

Sequitur tertia doctrina, quæ oſtendit cur Deo gratum ſit & acceptum, ſi ſubditi pro Magiſtratu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

diligenter apud Deum intercedant, nimirum quia Deus vult Omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Inſigne & præclarum eſt hoc dictum Pauli, quod vel ſolum, ſatis erit ad animos noſtros confirmandos, vbi eos tentatio de particularitate fatigat.

Sed hîc non immeritò quæritur, Si Deus vult Omnes homines ſaluos fieri, cur igitur non omnes ſaluat? Siquidem omnia quæcunq; voluit fecit, Pſal: 115. Sed reſpondetur verè & ſimpliciter, Deum quidem ea quæ vult, facere omnia, interim tamen obſeruandum eſt, modum non eſſe excludendum à voluntate. Sic etiam verè vult Deus, Omnes homines ſaluos fieri, ſed ſeruato modo à ſe ordinato, qui

eſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

eſt agnitio veritatis, hoc eſt, Filij Dei, qui eſt ipſa veritas, Ioh: 14. nimirum vt cum vera & indubitata fide, Saluatorem ſuum agnoſcant. Nam ſine hac agnitione, de qua etiam loquitur Eſaias, cap: 53. nemini ſperanda eſt ſalus, iuxta dictum Chriſti: Qui non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum, Ioh: 3. Quotquot igitur hunc ſalutis conſequendæ modum, acceptant, eos Omnes verè vult Deus ſaluos fieri, ideoq́; eos abſq; vllo diſcrimine ſaluat: Reliquos autem omnes, hunc ſalutis conſequendæ modum aſpernantes, nequaq̃ vult Deus ſaluos fieri, ideoq́; eos nequaq̃ ſaluat, ſed in æternum condemnat.

Vt autem animi noſtri, de dulciſſima hac doctrina, magis confirmentur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

mentur, certoq́ ſtatuant, gratiam Dei, in vera Filij agnitione, Omnibus eſſe propoſitam, diligenter obſeruanda ſunt quatuor illa, quæ vniuerſale hoc dictum Pauli, euidentiſſimè confirmant, quæ ſunt, Mandatum Dei vniuerſale, Promiſſiones quæ ſunt vniuerſales & gratuitæ, Miſſio Filij, & ipſa Sacramenta, quorum plenior explicatio, petatur ex Enchiridio.

Tibi autem æternæ Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum Filio & Spiritu S. toto pectore gratias agimus, quòd veræ Religionis doctrinam, ex denſiſſimis & plusq̃ cimmerijs tenebris in lucem produxeris, eamq́ multis nunc annis, in tantis tamq́ periculoſis motibus, in noſtris Eccleſijs & Scholis,

puram

puram atq; illibatam conſeruâris: Teq; intimis cordis noſtri gemitibus, ſuppliciter oramus, ne Euangelij tui lucem, in hiſce Regnis & Ducatibus accenſam, propter noſtram ingratitudinem, vllo pacto extingui ſinas, ſed eam magis ac magis accendas, vt etiam in hiſce Regnis boreis, aliqua Eccleſiola tibi colligatur, & quam à maioribus noſtris, integram Religionis doctrinam accepimus, ſynceram, nulliſq; erroribus deformatam, poſteris noſtris, veluti per manus tradamus. Tolle diſsidia, quibus Eccleſiæ & Scholæ, cum ſummo piorum omnium dolore & luctu, maximaq; veræ Religionis iactura, multis in locis miſerè diſsipantur: Et noſtris Ecccleſijs & Scholis, quemad:

hacte-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

hactenus, in medijs Diaboli eiusq; Organorum furoribus, ita deinceps quoq;, piam ac ſalutarem concordiam concedas. Docentium atq; diſcentium cœtus, in vero pietatis ſtudio conſerues, eorumq́; animos vnias, vt in te vnum ſint, vnum velint ac faciant.

Gratias etiam agimus tibi, Pater, Fili & Spiritus S. tantas quantas poſſumus maximas, quòd Regem tam pium atq; clementem, hiſce Regnis donâris, verum Eccleſiæ nutricium, cui nihil eſt antiquius, quàm vt vera de Deo doctrina, ſine vllis diſsidijs, in horum Regnorum Eccleſijs & Scholis, purè & ſyncerè tradatur, eademq́; à pijſsimo patre, ſanctiſsimæ memoriæ, Chriſtiano Tertio, nomine & re

re Chriſtianiſſimo, Principe nunq̃ ſatis laudato, accepta, ſucceſſoribus incorrupta relinquatur: Vtq; eius Maieſtatem, in poſterum etiam, in vero Dei timore, ac ſubditorum dilectione, pietate, ſapientia, iuſtitia, cæterisq; virtutibus Regijs omnibus ornatam, à præſentibus & imminentibus periculis, clementer conſerues, ardentibus votis precamur.

Conſerua Illuſtriſſimam Reginam, Iuniorem Principem, omnesq; liberos Regios, vt ad ipſius Chriſti exemplum, indies proficiant ſapientia & ætate, & gratia, apud Deum atq; homines.

Conſerua prudentiſſimos Regni Senatores, Eorumq; conſilia & actiones omnes, Spiritu tuo S.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

rege, vt tibi gratæ, Eccleſiæ, & Scholis, & hiſce Regnis, vtiles ſint & ſalutares.

Conſerua totius Regni nobilitatem, omnesq́ ſubditos, & publicas ac priuatas calamitates clementer mitiga. Conſerua nos à peſtilentia, bello & fame cæterisq́ malis omnibus, nec effundas omnem iram tuam in nos, qui populus tuus ſumus, Sed in medio iræ tuæ, miſericordiæ recorderis, vt diuino tuo præſidio, ab omnibus periculis clementer conſeruati, in hac & futura vita te, Patrem & Filium & Spiritum S. perpetuis laudibus celebremus.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

e, &
es ſint
nobili-
publi-
lemen-
peſti-
q; ma-
mnem
s tuus
e, mi-
no tuo
lis cle-
futura
&

Sic viſum veneri, cui placet impares
Formas atq; animos ſub juga aheneo
Sævo mittere cum joco
Hora: L. I. Od: XXXIII.

Quoq; ſequi neſcit, carpere quisq; poteſt.
Helmſt: d. 23 Jun: MDCCLXXII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

Quo magis his debes ignoscere, candide Lector,
Si spe sint, ut sunt, inferiora tua.
Ovid.

Quid prodest attenuari corpus abstinen=
tia, si anima intumescit superbia?
Bernh: Rip: d: XXIV. Jun: LXXII

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)

1178.

de Lector,
ia.

bstinen
perbia
LXXII

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1178 8° (LN 1137 8° copy 2)